

I. ^aEDICTUM CONTRA SCRIPTORES FAMOSORUM LIBELLORUM^a

^bSigismundus etc.^b. Universis et singulis cuiusvis ordinis et conditionis^c hominibus subditis nostris. Significamus hisce litteris nostris, quum^d usque adeo processerit licentia quorundam improborum et maliciosorum alienamque famam allatrantium hominum, ut famosos libellos, dialogos et rhythmos fictis vel suppressis nominibus non solum homines^e inferiorum ordinum verum etiam in consiliarios regni nostri, atque adeo in nos ipsos immo et in cultum sanctorum ceremoniasque et alias sanctiones ecclesiasticas confictas et conscriptas in vulgus spargant. Quare quum^f ingens labes apud externos et rerum ignaros^g hominibus insontibus^g totique adeo regni nostri reipublicae aspergitur, tum^h odia inter ordines et privatos homines concitantur et intestina discordia quae rerumpublicarum pernicies esse solet alitur divinaque maiestas offenditur. Id malum pestilens nos sedareⁱ et cohibere volentes decernimus et aedicimus hoc aedicto nostro, ne quis in ditionibus nostris eiusmodi dialogos, rhythmos et famosos libellos quavis lingua conscribere vel publicare ausit. Quod si quis eiusmodi dialogorum rhythmorum et aliorum quorumvis famosorum libellorum, qui vel aediti sunt vel aedentur posthac author atque^j scriptor deprehensus, delatus et convictus fuerit, is sine ulla venia capitali poena plectetur. Quisquis autem istiusmodi famosos libellos repererit^k et evulgaverit aut apud se servaverit de eius capite atque vita decernere integrum nobis relinquimus^l. Volumus enim^m id in gratia nostra positum esse ceterum quo facilius talium facinorum patratores perquirantur prodanturqueⁿ, quicumque authorem vel disseminatorem istiusmodi famosorum libellorum nobis indicaverit ac detulerit, certisque argumentis aut testimoniis docuerit et convicerit aut certe^o quomodo is deprehendi et convinci possit, aperuerit ei statuimus et regio verbo nostro pollicemur praemium centum aureos, quos ipsi e^p thesauro nostro sine ullo negotio numerari iubebimus. Quae omnia ut certa firmaque sint iussimus hoc aedictum annulo nostro quo nunc utimur consignari. Praefectis vero arcium et oppidorum nostrorum^q mandamus, ut hoc aedictum nostrum in praefecturis suis et mercatibus per praecones^r publicari et^r promulgari^s iubeant. Pro fide et officio suo gratiaque nostra aliter non facturi. Cracoviae in conventionem generali in vigilia^t Purificationis Virginis Mariae anno Domini M^oD^oXXXVIII^o [I II 1537], regni nostri anno XXXI^{ou}. ^vAd mandatum etc.^v

II. [AKTY POTWIERDZAJĄCE ZŁOŻENIE PRZYSIĘGI KORONACYJNEJ PRZEZ ZYGMUNTA AUGUSTA]

A. [Dokument Zygmunta I z 6 lutego 1537 r. potwierdzający złożenie przysięgi koronacyjnej przez Zygmunta Augusta w dniu 4 lutego 1537 r.].

Sigismundus^a, eius^b nominis primus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litvaniae, Russiae

^{a-a} W MK₂ tytuł brzmi: Mandatum contra eos qui aedere soliti erant famosos libellos. W G. Krak. tytuł brak. W Iura Mas. tytuł brzmi: Literae super autores rithmorum et dialogorum regiae editae. W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 18306, s.47 akt ten zapisany został pt.: Edictum regium contra auctores famosorum libellorum, dialogorum et rithmorum, ut capitali poena plectentur, qui vero talium libellorum disseminatores detegerit, praemium 100 fl. aur. e thesauro regio accipiet.
^{b-b} Sigismundus Dei gratia rex Polonie, magnus dux Lythvanie, Russie, Prussie, Mazouie etc. dominus et heres G. Krak., Iura Mas. W MK₂ intytulacji brak. ^c conditionibus MK. ^d cum Iura Mas. ^e in homines MK₂, G. Krak., Iura Mas.^f cum Iura Mas.^{g-g} insontibus hominibus G. Krak. ^h tamen G. Krak. ⁱ fedare Iura Mas. ^j aut Iura Mas. ^k reperiret Iura Mas.
^l relinquemus G. Krak. ^m autem Iura Mas. ⁿ prodanturquam G. Krak. ^o certo Iura Mas. ^p de G. Krak. ^q Brak w MK₂.
^{r-r} Brak w MK₂, G. Krak., Iura Mas. ^s provulgari Iura Mas. ^t vigilia festi MK₂, G. Krak., Iura Mas. ^u W MK₂ po: anno Domini tylko: etc. W G. Krak., Iura Mas. obie daty rozwiązano: millesimo quingentesimo tricesimo septimo, regni nostri anno tricesimo primo. ^{v-v} Ad mandatum sacre regie maiestatis proprium G. Krak. Ad mandatum proprium sacrae regiae maiestatis Iura Mas.

^a W VL tekst ten poprzedzony został tytułem: Sigismundus primus cavet neminem parere debere filio nisi post diploma confirmationis iura, anno 1537. ^b W B. Czart., błędnie: Dei.

totiusque^c Prussiae^d, Masouiae^e etc. dominus et heres. Significamus tenore praesentium universis et singulis cuiuslibet ordinis, dignitatis et conditionis hominibus. Quum ante septem annos consilarii regni nostri singulari erga nos domumque nostram regiam studio et propensione permoti, tum imminentibus etiam difficultatibus atque motibus quibus nunc universus fere orbis terrarum tumultuatur obviam ituri, serenissimum filium nostrum Sigismundum Augustum regem sibi et Regno Poloniae nobisque successorem, voluntate nostra constituissent. Ac ne res ea posthac ullo pacto in dubium revocari posset iureiurando singillatim dato fidem suam ipsius maiestati obstrinxissent, quoniam is tum per aetatem nondum commode vicissim ipsis iusiurandum dare poterat, recepimus^f nos et spopondimus et regio verbo nostro promissimus, ipsius maiestatem quum^g annum quintum decimum egressa fuisset vicissim subditis suis omnibus consentaneum iusiurandum esse daturam, cuius formula continetur iis litteris quibus^h tum fidem^h nostram obstrinxeramus. Nunc itaque cum tempus id venisset liberavit ipsius maiestas fidem nostram pro se datam, taleque iusiurandum quale modo descriptum est conceptis verbis ad sancta Dei Evangelia publice in ecclesia cathedrali Cracoviensi quarta die Februarii praesentis anni [4 II 1537] dedit. Ad ne quid ea res discriminis malique afferret ita tum quoque in electione illa cautum publicoqueⁱ omnium consensu constitutum erat, ut quoad nos viveremus poenes nos universa potestas et regium imperium nihilominus maneret. Nunc etiam recepit idem serenissimus filius noster spopondit et regio suo verbo promisit, litterarumque monumentis ea de re conscriptis et signo suo consignatis cavit viventibus nobis nihil se potestatis et iurisdictionis in Regno Poloniae sibi esse vendicaturum, neque vi quenkam^j invitum ad iussa sua faciendum adacturum, sed omnia seque ipsum denique semper in potestate nostra fore. Deinde quaecumque iurasset publicae, omnia se sine omni^k controversia servaturum, defensurum atque executurum esse. Postremo post obitum quoque nostrum neminem praedictorum subditorum^l suorum sibi parere debere nec fore obnoxios fidei imperioque suo nisi prius ipsis universa iura, privilegia, libertates, litteras et immunitates a supramemoratis maioribus suis divis regibus Poloniae et a nobis etiam concessas ac donatas quaeque in posterum dum vivimus a nobis concedentur donabunturque diplomate suo regio confirmaverit et pro viribus suis iuxta tenores earundem in executionem posuerit. Quae omnia nos quoque pro eodem serenissimo filio nostro recipimus, spondemus et regio verbo nostro promittimus. Id quod his litteris signo nostro appenso^m consignatis testatum esse volumus. Datum Cracoviae sexta Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo [6 II 1537], regniⁿ nostri anno tricesimo primo. ^oSigismundus rex subscripsit^o.

B. [Dokument confirmacji praw i przywilejów koronnych].

^aSigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres. Significamus ^btestatumque fecimus^b universis et singulis cuiuslibet ordinis, dignitatis atque conditionis hominibus, quum^a consilarii Regni nostri Poloniae singulari quadam propensione erga serenissimum parentem nostrum et dominum dominum Sigismundum eius nomine primum regem Poloniae et erga nos prosapiamque nostram universam adducti, anno ab hinc septimo nos regem Poloniae designarent, eidemque regno oboedientiae et fidelitatis iureiurando nobis dato, nos inaugurarent^c recepit eis pro nobis et respondit^d et litterarum monumentis^e consignatis cavit, idem serenissimus parens noster, quo volente et adiuvante haec fiebant, minime teneri eos^f iureiurando suo, quod nobis praestitissent, nec imperio nostro parere debere, nisi nos ipsis vicissim iuraremus. Nos omnia iura, privilegia^g, libertates, litteras et^h immunitates iustas et legitimas eiusdem regni nostri ecclesiasticasⁱ et saecularesⁱ, quibusvis

^c Brak w MK2, VL. ^d Brak w VL. ^e Masouieque MK2, Masoviae VL. ^f receperimus MK2, VL. ^g cum VL. ^{h-h} fidem tum VL.

ⁱ loco MK2. ^j quempiam MK2, VL. ^k ulla MK2, VL. ^l W B. Czart. wyraz ten został powtórzony. ^m impresso MK2, VL.

ⁿ Regni vero MK2, VL. ^{o-o} W B. Czart. własną ręką króla. Brak w VL.

^{a-a} Nos Sigismundus Augustus significamus quod cum VL. ^{b-b} tenore presentium MK2. ^c inaugurarunt MK2. ^d spondit MK2; spopondit VL. ^e monumentis MK2, VL. ^f nos MK2. ^g et privilegia VL. ^h Brak w VL. ⁱ⁻ⁱ seculares et VL.

ordinibus et hominibus, nemine excepto, a maioribus nostris regibus Poloniae, praesertim autem^j a divo^k Casimiro antiquo, Ludovico, Wladislao proavo, Wladislao magno patruo, Casimiro avo, Ioanne Alberto et Alexandro patruis et serenissimo Sigismundo primo, patre nostro donatas omnino ratas habituros esse servaturos et defensuros, omniaque inique^l ab eodem regno abalienata atque distracta pro viribus nostris recuperaturos et ad unionem regni aggregaturos, nec imminuturos^m fines eiusdem Regni Poloniae, sed acturos potius prolaturusque quoad poterimus. Atque id iusiurandum, ut tum denique daremus quumⁿ adultiorem aetatem attigissemus^o, hoc est, cum quindecimum aetatis nostrae annum egressi essemus. Verum ea lege tamen, ut nihilominus universa eiusdem Regni Poloniae potestas, imperium et iurisdictio poenes serenissimum parentem nostrum esset quoad is viveret. Id vero tempus praescriptum quum^p advenisset, iuravimus publice in summo templo in arce Cracoviensi quarta die Februarii anni praesentis [4 II 1537] verbis conceptis ad sancta Dei Evangelia in eam sententiam cuius supra meminimus. Et serenissimi parentis nostri fidem pro nobis datam liberavimus ceterum, ut pactis illis et condicionibus quibus^q ad nos regnum^q delatum est, stemus et ne idem illud regnum nostrum ullis turbis atque difficultatibus innoveremus^r memores paternorum beneficiorum officiique nostri atque benevolentiae singularis erga nos omnium^s nostrorum subditorum^s recipimus, spondemus et regio verbo nostro pollicemur primum^t omnia nos quaecunque iuravimus omnibus subditis nostris incolis Regni Poloniae cuiuscunque ordinis et condicionis fuerint absque ulla controversia servare, defendere et exequi velle. Deinde nihil nos imperii neque iurisdictionis in eodem regno vivente serenissimo patre nostro nobis esse usurpaturos neque coacturos quemquam^u invitum et recusantem voluntati iussisque nostris parere. Sed in eiusdem serenissimi parentis nostri potestate quoad victurus est omnia nosque^v ipsos etiam^v esse futuros. Postremo post obitum etiam, qui utinam sero contingat serenissimi patris nostri, neminem praedictorum subditorum nostrorum nobis parere debere, nisi prius ipsis universis, omnia iura et privilegia tam Regni nostri Poloniae et dicionum^w eius communia^w, quam privatarum personarum, aut locorum quorumcunque privata et quasvis libertates, litteras et immunitates a supra memoratis maioribus nostris^x donatas queque deinceps adhuc a serenissimo patre nostro quamdiu vivet donabuntur et constituentur, litteris nostris confirmaverimus atque iuxta continentiam et tenores earundem in debita executione posuerimus. Quae omnia libenter pro viribus nostris faciemus et exequemur. Quod ut certum firmumque sit, signo nostro, quo nunc utimur, litteras hasce consignavimus et manu nostra subscripsimus. Datum Cracoviae sexta Februarii anno Domini ^yM^oD^oXXX^oVII^{mo}-y [6 II 1537]. Sigismundus Secundus rex subscripsit.

III. [AKTY DOTYCZĄCE ZWOLANIA POSPOLITEGO RUSZENIA]

A. Constitutiones sive mandata de profectione^a ad bellum^a facienda et ordine in castris servando articulatum scriptae^b.

Sigismundus Dei gratia etc.^c Universis et singulis dignitariis, palatinis, castellanis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis ac illi vel illis, qui de iure vel consuetudine ad expeditionem generalem obeundam sunt obligati, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Sincere et fideles dilecti. Cum nos reipublicae nostrae cura et sollicitudo tangeret, conventum praesentem indixeramus, animadvertentes graves atque impendentes regni nostri necessitates, id studii et instituti habentes, ut iustam aliquam e re nata publicae rei defensionem

^j vero VL. ^k divis VL. ^l Brak w MK. ^m imminuturos MK2, VL. ⁿ cum VL. ^o attingeremus VL. ^p cum VL. ^{q-q} regnum ad nos MK2, VL. ^r involveremus VL. ^{s-s} subditorum nostrorum MK2. ^t Brak w MK2. ^u quenque MK2. ^{v-v} etiam ipsos MK2.

^{w-w} eiusque communia MK2; eius omnia VL. ^x nostris regibus VL. ^{y-y} millesimo etc. ut supra MK2; 1537 VL. Na tym kończy się tekst VL.

^{a-a} Słowa dopisane na marginesie MK2. ^b W wydawnictwie St. Kutrzeby (SK) tekst ten zatytułowano: Króla Zygmunta I ordynacja wojenna. ^c W SK zamiast etc.: rex Poloniae, magnus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviaeque etc. dominus et haeres.